

DAHLMANNO SVO

S. D.

P R A E S E S.

TE sane, si quem unquam, me posse, et multis nominibus mihi carissimum, et plane meum, iure meo adpellare, non tantum ego sentio, verum TE quoque ipsum, Suauissime DAHLMANNE, non intelligere tantum, sed pariter sentire oportet. Iunxit enim nos primum studiorum academicorum consortium, quod quantum valeat ad amicitiam arctissimam contrahendam, sciunt omnes, aut proprio sensu, aut exemplo aliorum edociti, qui vel semel viderunt senes adeo, olim studiorum iuuenilium in academia socios, post longam absentiam in mutuos amplexus ruentes, et audiuerunt colloquentes praeteritorum annorum memoriam repetere. Sed magis nos iunxit postea WISMARIA, multis modis, et hoc quoque nomine, mihi carissima, quod et amabilis Patris Tui, et Tua consuetudine ibidem me uti licuerit. Quare dici non potest, quam insigni animi laetitia quantoque gaudio affectus sim, quum contigerit mihi, esse tam felici, ut TE possim praesentem videre in hac, quae tanta me humanitate recepit, musarum s<sup>e</sup>de, coram TIBI gratulari honores, quibus nuper admodum TE auxit amplissimus ciuitatis patriae Senatus, Syndici munus, quod insigni laude Patre optimus plurimos annos gescit, TIBI, tanto Patre s<sup>i</sup>lio dignissimo, decernens, et, quod, nisi maximi, certe non leuisimi, mihi est momenti, TIBI summos in iure nostro honores ambienti, in ipso ad hosce honores aditu comes existere. Gratulor igitur, impense et ex animi sententia gratulor, et TIBI, et Patri optimo, et patriae honores nouos, et impetratos, et mox hic fausto omne impetrando, omniaque TIBI, quae ullo modo ad vitam beandam facere possunt, sincera mente opto, TE denique enixe rogo, ut et ipse mei memor sis, et Patri dilectissimo mei memoriam de meliori commendes. Vale, Amice Suauissime, omnique felicitatis humanae genere fruere quam diutissime. Iterum vale!

G

Viro